

TIT. II. De S. V. P.

L. 4. Bigam servitutum realium exhibens eas ab invicem ita distingvit, ut luminū servitute constitutā nobis acquiratur jus cogendi vicinum lumina seu fenestras nostras, quibus haurimus lumen cœlumq; intuemur. *L. 16. ff. b. in suo*, aut communi pariete, modo ita conventum, excipere. *Struv. Ex. 13. th 13.* Vel ut alii explicant, de proprio scilicet pariete, quæ lumina nostra excipiens vicinus ad præcludenda ea nil contra possit erigere. Nam licet dominus suâ fretus libertate sperire parietem, inq; eum fenestram immittere minimè prohibeatur; vicinus tamen eodem jure gaudens excipere eandem cessante servitute haud tenetur, sed contra ædificando luminum usum reddet inutilem *L. 9. ff. b. ne autem* concesso sibi jure utensimmissa obstruat lumina, servitus luminum impedimento est. *Conf. Franzk. b. n. 32. Hotom. resp. amic. l. 2. c. 4. Hahn. b. n. 4. Vinn. ad §. 1. I. de S. R. & V. R. n. 8.* At servitute ne luminibus officiatu imponitur id adepti videmur, ut jus sit vicino quâcunqve ratione lumina nostrarum ædium imminuere. Triplici autem modo fit imminutio, vel altius ædificando, vel arbores aut viridaria ponendo, vel deniq; tollendo & deprimendo ædificium: primus exprimitur in textu, reliqui ex *L. 17. §. 1. & 2.* huc accersuntur. Et quidem in §. 2. tertius modus primo intuitu subobscurus declaratur, ubi κατ' ἀνακλάσιν, id est, per refractionem seu repercussionem, vel presurā quædam lumen in ædes vicini devolutum obscuratur. Eam enim radiorum solis lucisve esse naturam Opticâ docente constat, ut in superficiem opaci corporis incidentes, cum transitus non pateat, in partem resiliant oppositam, eamq; resiliendo illustrent. Unde remotis aut depressis ædibus, in quas incidentes radii dicto modo vicini domui communicabant lumen, cessat repercussio, quam deinceps necessario luminis imminutio excipit. *Conf. Struv. d. l. Franzk. b. n. 37. Bus. ad h. l.* Quo ipso ultro offertur differentia hujus à servitute altius non tollendi. Hinc Cujacii errorem quivis deprehendit facilè qui *17. obs. c. 35.* confundere easdem proq; unâ eademq; servitute reputare non erubescit, cujus sententiam falsitatis convincent sequentia. In servitute enim ne luminibus officiatu omnimoda prohibetur obscuratio etiam arborum

D

borum